

*Appendix ad Europam Nro. 7.*

## Regnum Mortuorum.

Litterae familiares

inter

*Vivos et Mortuos.*

Famulus Cellarius *Joannes Hoppas* ad Collegam suum  
ex Elysio 8. Januarii 1808.

---

Praemissa salute, Bone Martine! ego consummavi; 32 annis egi famulum Cellarium, et deveni eo, quo tu, quo — serius, eo melius — pariter devenies.

Interim gratulor, me obiisse; officium nostrum pro viro 50. annorum, quos ego supervixi, est arduum, ut merito gratulari debeam, me mundum derelequisse. Chare socie! Quid tandem mihi supererat? Crura mea jam erant rigida, nec amplius fugitationem [per gradus ferre volebant. — Omnis quidem in mundo debet suam personam ludere, at profecto, persona unius famuli Cellarii non est gratissima.

Sifenim conditionem nostram cum omni perspicacia expendam, quid est unus famulus Cellarius? Nomen quidem habet a cellario, sed officium ejus est in culina, cum famulatio, cumque Hero, et Hera, uno verbo cum tota domus aconomia. Saepius optabam ego, ut Politici constitutionem pro Nobis elaborassent; sed quae Legislatio cogitat extra mensam de codice Cellariorum? — Profecto, prout ego Joannes nominor, ita certum est, statui nostro graves admodum incumbere obligationes.

Volo tibi hunc statum nostrum ab experientia describere. In juventute status hic est utcumque tolerabilis. Dat occasionem homines diversi Status, et characteris noscendi, et ausim dicere, cognitionem hominis aquirendi. Decipit illum modo bonus, modo malus, modo dives, modo pauper; modo honestus; modo nebulo, modo Litteratus, modo asinus incarnatus; modo honesta, modo dubia. — Omnis habet alias qualitates, aliam vitae rationem, alium gustum, alias singularitates, omnia haec mala, sicut bona, habent influxum ad Cellarium. Ast quid in senectute? — Ego paucos admodum senes Cellarios vidi.

Notitia itaque hominum in nostro statu est egregia qualitas; atque hoc est etiam totum; nunc videamus alias obligationes nostras. — In popina Cellarius est prima persona. Si veniat hospes, Cellarius adesse debet, qui hospitalem, ut Marschallum aulicum excipiat; ei cameram assignet; eum circa famem, et sitim examinet; naturam, et affectiones eius exquirat, ut ei convenienter servire possit; titulos item caracteremque studeat. — Si hospes sit lunaticus, quod saepius fit, debet cum eodem lunaticum ludere; si sit iocundus, debet cum omni tamen reverentia, collectionem jocosarum fabellarum habere, ut eum distrahat. Si sit morosus, curandum, ne eum incitet; si sit vagabundus, debet catenus suam Principalem praevenire. An haec non ardua sunt? Cellarius famulus est Cato in popina.

Omnia in eum recidunt; si jusculum sit salsum; si bubula dura; si vinum malum (quod est peccatum Principalis) si camera parum, aut multum caleat; si unus alterve ciborum non sapiat; si ancilla lectum male sternat; si mantile, aut quod saepius fit, emunctorium desit, et ad primam vocationem non adsit; tunc vas misero huic. Qualis est haec provisio? Diabolus haec jusculum edat; nec dentes elephantini roderent hanc bubulam; An hoc vinum est? An hoc est Rampas? Cellarie! Cellarie! Maledictio; Cellarie! quale hoc est servitium? non mundum mantile, non emunctorium quid placet *Spectabili Dominationi. V. strae*? Vade in malam rem! qualis hic apud vos ordo! Haec et his similes Officinas debet ferre Cellarius; nam Principalis abest, et ideo Cellarius omnia ferre debet; ideo debet cor induratum habere, et quod per unam aurem intrat, debet per alteram dimittere.

Sed necdum haec omnia; est is etiam internis domus molestus expositus. Morositas, et indispositio Heri, sed vel maxime Herae; dissensiones in culina, rixationes famulitii, et quid quid in domo fit, illum prae reliquis, velut caput horum, primum ferit. Quid quid frangitur, aut perit, is respondere debet, estque pro malis tam physicis, quam moralibus in domo responsionis oneri expositus. Tales ingrati eventus sunt quotidiani, et homines oporteret Angelos esse, si in majori domestica aeconomia sine odio, sine jurgiis, sine persecutionibus, et calumniis vivere velent.

Et quid pro tantis ingratis fatigiis habemus? Magni Domini ob temporum abijuncta remiserunt a priori sua generositate, bibalia, et honoraria sunt macra; per gradus sursum deorsumque fugitando, per aliquot annos totus atteritur homo, fitque animal miserimum, cui nil melius superest, quam ad cellarium aeternitatis, qui est tumulus, inigrare. Nunc non tam facile quis propriam inchoare potest

oecon  
ducent  
nunc  
quam  
has l  
ficiant  
onum  
miser  
unus  
reper  
in An  
ograp  
usque  
et me  
bus o  
sonun  
silia  
jus re  
idest  
Atbi,  
hujus  
Millia  
prae  
ctenu  
pretio  
Oman  
manu  
cotian  
Gosp  
aquir  
tius gl  
Marq  
perme  
aquae  
merid  
dit. P  
mari i  
sunt;  
In ha  
et res  
etiam  
ctam  
rat, et  
Rex P  
sulas i  
meran



oeconomiam; quia hoc multas exigit paecunias; Viduam ducere, ad quod priori tempore spem habere poterat, jam nunc etiam extra *modam* est. Talis est, chare amice! via, quam ingressus es, et quam ego tamdiu pressi. Conserva has litteras, et si hospites te, quod saepe fit, ingratis efficiant, da eis legendas; agnoscent illi gravitatem functionum famuli cellarii, scientque valorem ejus a proportione miseriarum melius aes imare. Recte nunc advenit ex mundo unus Collegiarum nostrorum, quem ad tugurium Charentis reperi, qui mihi caetera inter narrat: Regem Portugalliae in Americam meridionalem euigrasse, cujus regionis geographicam isthic tibi — pro notitia — mitto.

Ab Aequatore usque 23 gradum latitudinis, et a 300 usque 542 gradum longitudinis in America jacet regio lacte, et melle fluens, quae Brasilia nominatur, quae sequentibus constat provinciis. *Gubona* meridionali; Regione *Amasonum*, parte *Peruvias* inter meridiem, et ortum; *Brasilia* propria et parte *Paraquojas*. Extensio arealis hujus regionis est major, quam totius Europae occidentalis, id est Galliae, Hispaniae, et Portugalliae; sed tantum 400000 Albi, 600000 nigra mancipia, et 200000 primorum terrae hujus incolarum habitant ingentem hanc terram; in qua 60 Milliones in abundantia vivere possent. In omnibus fluviis, praesertim torrentibus montanis reperitur aurum, quod haec tenus totum in bursam Anglorum fluxit. Collectio lapidum pretiosorum erat lege constricta, ne valorem amittant. Omnia omnia fert tellus cum exuberantia, et tantum desunt manus, quae benedictionem Coeli colligant. Sacharum, Nicotiana, Orisa, Sasaparilla, Ingiber, Cacao, Vanilia, Gossipium, Indigo, et mille alia naturae rara producta levi aquiruntur. Per regiones meridionales volvitur ingens, totius globi terraquei maximus fluvius *Amasonum*, secus etiam *Maragnon* dictus, qui in *Cordillaras* Peruviae scaturit, et permenso 800 milliarium germanicorum cursu, ingentem aquae massam in mare Atlanticum exonerat. Per partem meridionalem fluit Plata, qui fluvius pariter in Oceanum cadit. Permeant praeterea regionem diversi alii fluvii, qui ex mari in partes intraregnanas ad plura milliaria navigabiles sunt; in littoribus autem maris securissimi jacent portus. In hanc regionem emigravit Princeps Regens Portugalliae, et residentiam suam Olissipone ad *Rio de Janeiro*, secus etiam ab arce, quam habet, improprie *S. Sebastianus* dictam urbem transtulit, quae urbs 55000 habitatorum numerat, et bene munitum portum habet. Praeter haec possidet Rex Portugalliae haud contemnendas regiones, oras, et insulas in Africa, et Asia, nominanter in *Gra* in India; huc numerantur etiam Insulae Asoridum, et Promontorii viridis.

*Biographia.*

Anno 1785 fuerat Aquisgrani in Diversorio ad Potentem Monarcham famulus Cellarius, ob singularem celeritatem suam *Joannes Hoppas* dictus. Facta quaedam Juventutis coegerant eum iuga sibi consulere et migravit per pedes Apostolorum — in Helvetiam. Rebus hic ei haud ex voto cedentibus, militiae nomen dedit, et cum legione sua Carthaginem venit, ubi, quia militibus helveticis quaevis opificia exercere in Hispania conceditur, evigilavit in eo spiritus ejus cellarius, instituit primo tabernam, quae mox in amplissimum evasit diversorium. Collectis sibi aliquibus facultatibus, ingressus viam communem hominum, nempe duxit uxorem, genuit proles; vixit ex sudore vultus sui, et mortuus est. Cum pauperi admodum durum sit, in hoc mundo sibi bonam memoria dignus est, quia hanc ex nihilo per sua talenta acquisivit.

*Diarium Politicum.*

*Pittii* morientis ultima verba erant. Ah Patriam meam! — *Fox* moriens, coronae amicorum, quae lectum ejus cinxit, dixit: ego morior consolatus, ast indoleo vobis? Unde haec utiusque anxietas de futuro? Pater *Pittii* obiit cum verbis Catonis: votum meum est: Carthaginem eversum iri. Quae sublimis sententia morientis Ministri! Ah, cur non aderat, qui hanc phrasim explanare potuisset. — Adest nunc, — tamen sper patientia! Quid quid dicatur, aeternum bellum Anglia sustinere non potest, etiamsi nexum aliquem commercialem cum Continente Europae haberet. Quanta accumulata sunt debita, dum adhuc haec communicatio fuit; quanta ergo dehinc accumulabuntur? In omnibus Angliae portubus insoliti pro expeditione occulta fiunt apparatus; Gubernio adlatae sunt de mente hostis relationes summi momenti; propediem expedientur notabiles copiae ad Gibraltar. Declaratio russica renovavit vetus contra *Pittianos*, et *Grenvilleanos* odium, quibus omnia, quae fiunt, imputantur.

*Quaestio.* Quem habent influxum scientiae in societatem civiensem? *Responsum:* In omni quaestione, in qua dubium subest, debent assummi duo extrema; in Quaestione ergo, an scientiae societati profuerint? debemus hominem in Paradiso in statu naturae considerare, ubi Adam et Eva sub quercu coenabant, et super terra jacebant; dein vero progressionem civilisationis hominum per omnes culturae gradus ad *Operam* usque persequi, ubi vestitu aureis fimbriis orato, et indusio ex *Musselin* ornatus inter duas *Damas*, adamantibus fulgentes, ambitiosus sedet. — Haec sunt duo extrema puncta — scilicet *Natura*, et *Civilisatio*, idest Homo *Stans* sub quercu, et homo *Dominus* in opera.